

ante oculos positum. Tandem tamen fatigatus adstantium
precibus, intellegens Dei esse voluntatem ad supplica-
tionem se Domino, fixis genibus, convertit, et statim
65 ingens copia consecuta est pluviarum, quibus et terra et
homines recreati sunt. Nam de illo quid dicam qui Iohan-
nis Apostoli discipulus fuerat prius, postea vero ad latro-
cinia conversus et multo in his tempore grassatus, rursus
ab ipsis latronum speluncis Apostoli manibus apprehen-
70 sus et priori, ut ipse bene nosti, reditus vitae, longe melior
et mirabilior posterioribus temporibus quam prioribus
fuit. Novi quia frequenter haec legens admiratus sis
beati Apostoli incredibilem benignitatem, atque inter
cetera quae erga eum ostenderit ineffabilis amoris insi-
75 gnia, illud te praecipue mirari fatebaris, quod humano
sanguine cruentam iuvenis dexteram deosculatus sit
prius et, sic in amplexus eius corruens ad aeternam revo-
caverit vitam eum, quem iam mors aeterna sorbuerit ?

20. Sed et beatus Paulus Onesimum inutilem effec-
tum, fugitivum, furem, non solum amplectitur et diligit
conversum sed et a domino eius exorat ut ita eum sicut
seipsum habeat. Haec autem omnia pro munere paeni-
5 tentiae. Sic ergo ait de eo : « Obsecro te pro meo filio quem
genui in vinculis, Onesimo, qui aliquando tibi inutilis
fuit, nunc autem et tibi et mihi utilis, quem misi ad te.
Tu autem illum sicut mea viscera suscipe, quem ego volui
retinere apud me ut pro te mihi ministraret in vinculis
10 evangelii, sed sine consilio tuo nihil volui facere, ut ne
velut ex necessitate tuum bonum esset, sed voluntarium.
Fortassis enim propterea discessit ad horam ut aeternum
eum reciperes, iam non ut servum sed pro servo fratrem